

DISPVTATIONVM PHYSIOLOGICARVM

SECVNDIA

QVA

THESES DE VISV



P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
DOCTISSIMO,

IOANNE PETRO EBERHARDO,

MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORE,
HVIVSQVE PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO,
ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIO-
SORVM SODALI,

D. XIII. IVL. CLCCLIV.

IN AVDITORIO MAIORI

H. I—III. POMER.

P V B L I C E D E F E N D E T

AVCTOR RESPONSVRVS

CAROLVS GVILIELMVS SCHVLTZ,

PERLEBERGENSIS,

MEDICINAE CANDIDATVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

PRELO IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DICUTATIOMVM PHARAOG GARM

260 AD 1

THESS DE LISA

TRANSLATE

TRANSLATE

ALBO EXCELSIENSISMO EXCELSITASIMO

DOCTRINA

IOVINE PETRO BEERHARDO

MEDICINA AD PHARAOGHIAE DOCTOR

HISTORIA MEDICINA THERAPY EXTRAORDINARIO

ACADEMIA MELTUM NATURAE CARIO

SCIENTIA SCIENTIA

SCIENCIÆ SCIENCIÆ

IN AUDITORIO MAIORI

H. I. M. C. M. C. M.

PARTIOR PECUNIARIA

PARCIALE PARCIALE

CAROLVS GALLIEUS SCHALTZ

PHYSICÆ PHYSICÆ

PHYSICÆ PHYSICÆ

PHYSICÆ PHYSICÆ



HALLA MODERATORIA

TRAGO IO CHRISTIANI HENDRIKI VACDTILOGR



§. I.

Facultas res extra nos existentes sentiendi dicitur *Sensus*.

§. II.

Sensus vel statum animae, vel corporis repraesentat. Si prius dicitur *sensus internus*, si posterius *externus*.

§. III.

Cum obiecta admodum inter se diuersa sint, patet diuersa quoque requiri organa sensoria, mediantibus quibus sensus absoluuntur.

§. IV.

Sic *gustus* organon est lingua, *olfactus* nares, *auditus* aures, *visus* oculi, *tactus* papillulae nervae cutis.

§. V.

Ad sensus externos, quinque referuntur, nempe *gustus*, *olfactus*, *auditus*, *visus*, *tactus*.

Coroll. Nonnullis placuit nouum seu sextum addere sensum nempe *venereum*; a) aliis, ut *syri* & *sensum caloris & frigoris*; aliis *sensum famis & sitis*. Sed cum sensus tactus ab omnibus pro vniuersali declaretur, comode omnes hi sensui tactus adnumerari possunt.

a) vid. SCALIGERI exerc. 286. t. 3. qui affirmat, quod titillansissima voluptas venerea sextus quidam sit sensus.

§. VI.

Sensus externi statum corporis repraesentant §. II. Hinc semper aliquid actuale: & quilibet sensus instructus sit oportet suo organo peculiari. Patet hinc non dari fallaciam sensuum.

BAVMGARTENII Metaphysica §. 545-546.

§. VII.

Cum ad sensus organa requirantur, §. III. patet, positis organis in corpore viuo & sano sensus dari.

A 2

Coroll.

4 *Disputationum physiologicarum secunda*

Coroll. Hinc brutis organis sensoriis praeditis, sensus
minime denegare possumus.

§. VIII.

Cum ad sensus organa requirantur §. III; patet, de-
ficientibus organis sensus non dari.

Coroll. Hinc entibus in regno vegetabili & minerali
existentibus sensus adscribere, ut nonnullis placuit, ab-
surdum est.

§. IX.

Si sentimus obiecta, quaedam in organa sensoria a-
gunt. Actio vero in corpus cum motu est coniuncta (p.
princ. Physica). Hinc vel corpora extra nos in organa
sensoria agentia moueri debent, vel ipsa organa sensoria.

Schol. Vtiusque exemplum praeberet actio luminis in
retinam, & actio manus in clavum aliquem infixum.

§. X.

Obiecta quae in nos agere debent, corpora sunt §. IX.
hinc ut extra nos existant necesse est.

Coroll. Hinc semper corpora adesse debent, si sensatio
in nobis producitur. Absentibus vero corporibus, nul-
la datur actio in corpus; hinc nullus motus, qui tamen
ad sensus producendos requiritur. Hinc nullus sensus.

§. XI.

Hactenus de sensibus in genere: nunc sensum omni-
um extenorum nobilissimum, quem *Visum* salutare sole-
mus, paulo accuratius delineare nobis placet. Definio itaque
Visum per sensum externum §. V. quo res visibles extra
nos existentes, mediante lumine per oculos sentiuntur. §. I.

§. XII.

Cum oculi visus sint organon §. IV. patet, si actio-
nem, qua absoluitur visus rite intelligere cupiamus; oculo-
rum structuram praemittendam esse.

§. XIII.

§. XIII.

Partes oculos constituentes sunt vel *externae*, vel *internae*. §. XIV.

Ad partes *externas* pertinent :

- a) *Ossea oculi theca*, ex concursu variorum ossium composita. a)
- b) *Supercilia & palpebrarum cilia*, quae in fine frontis & palpebrarum conspiciuntur.
- c) *Palpebrae oculos claudentes*, quarum in singulo oculo duae reperiuntur, una inferior, altera superior appellatur.
- d) *Oculorum canthi*, qui ex concursu palpebrarum oriuntur.
- e) *Musculi oculos mouentes*, quorum IV. recti. e. gr. Superbus, humilis, indignabundus, bibitorius, & II. obliqui, amatorii dicti, dantur.
- f) *Glandulae conglomeratae*, quae oculos humectant & lacrymas fundunt.
- g) *Tarsus & Sphincter palpebrarum*.

ALBINVS de *osibus corporis humani* §. 97. Celeberr. HEL-
STERI Compend. Anatomic. §. 89-90. p. 29.

§. XV.

Ad *internas* vel proprias pertinet *Bulbus* siue *oculus* ipse, qui est organon corporis visibilia repraesentans, & ex tunicis sex, humoribus duobus, lente vna, vasisque variis constans.

§. XVI.

Tunicae oculum constituentes sunt sex, quarum prima dicitur *albuginea*, adnata, siue coniunctiva, a periosteo orbitae oculi, vel vt alii malunt, ab interna palpebrarum tunica orta, & album oculi constituens, anteriori parte haerens, oculum orbitae & palpebris iungit, vasisque copiosis est repleta.

vid. Perillustr. de HALLER Comment. in Boerhaanii Praelect.

T. IV. p. 197.

A 3

§. XVII.

6 Disputationum physiologicarum secunda

§. XVII.

Secunda est Cornea, quae est tunica externa anterior pellucida, magis eleuata, figura sphaerica, scleroticae pars, & oculi partem anteriorem cum sclerotica iungens.

§. XVIII.

Tertia est Sclerotica, quae est tunica externa posterior, magis opaca, crassa, valde firma, a dura matre orta, totum oculum ambiens, a cornea ad neruum opticum extensa, maioris sphaerae segmentum, quam cornea, cum qua oculi partem posteriorem connectit, eiusque figuram pariter ac in situ suo singulas partes conseruat.

§. XIX.

Quarta est Choroidea, quae est tunica interna posterior tenuis, mollis a continuatione piae matris orta, neruum opticum inuolens & subtilissimis vasculis sanguiferis instruta, scleroticae ope cellulosae fabricae contigua, adeoque eandem cum ipsa figuram, superficiem vero concavam politam habens, suaque nigredine oculum opacans, humores oculi amplectens & diuersis ex lamellis constans.

RUY SCH. Epist. Anat. XIII. Tab. XVI. ci. Thes. Anat. II. Tab. I.
Fig. 6.

§. XX.

Quinta est Vuea, quae est tunica interna anterior a choroidea per ligamentum ciliare distincta, ex variis vasibus sanguiferis composita, multifariam colorata, conuexa, corneae substrata, figuram annuli vel zone habens, intus aspera & nigra, foris laevis, radios luminis ad visionem necessarios in interiore oculi concamerationem intromittens, superfluos vero arcens.

§. XXI.

Pars Vueae annularis, pupillae foramen cingens,
per

qua *Theses de Visu exhibentur.* 7

per corneam transparens, coloris diuersi, *Iris* dicitur.

§. XXII.

Foramen rotundum tunicae vueae instar circuli nigrantis in oculo conspicuum, & motu mox constrictorio, mox dilatatorio aditum radiis in oculi interiora concedens, dicitur *Pupilla*.

§. XXIII.

Cum pupillae foramen dilatari & constringi possit §. XXII, aliquid adesse debet, quod huius motus rationem sufficientem in se continet. Id praestant fibrae musculares, in vuea existentes, longitudinales & circulares dictae. Si priores abbreviantur, pupilla dilatatur, si posteriores contrahuntur, pupilla constringitur.

Schol. Anatomicorum controuersiam de praesentia fibrarum orbicularium hic nostram non facimus. Adesse assertunt WINSLOVIVS, ILLUSTR. HEISTERVS, & duas saltrem fibras RUYSCHEVS. In brutis certe adfunt. In homine adesse negant MORGAGNVS & Perillus. de HALLER.

§. XXIV.

Sexta est *Retina*, quae est tunica intima, choroideae contigua, tenerrima, mucosa, neruosa, in fundo oculi sita, alba, cum portione fibrillarum interiori nerui optici fortiter connexa, imo puluae nerueae pars, & visus prima-ria sedes.

§. XXV.

Humores oculum constituentes, obseruantur duo pellucidi §. XV. quorum *primus aqueus*, sive albugineus salutatur, qui non modo anterius oculi spatium inter corneam & vueam replet, sed & posterius intra vueam & lentem crystallinam, instar aquae fluidus.

§. XXVI.

§. XXVI.

Alter humor dicitur *Vitreus*, in posteriori oculi cavitate situs, eamque occupans, posteriore sui parte retinæ tunicae vbiique contiguus, eamque expandens, vitro fuso diaphano similis, ex vasculis subtilissimis lymphaticis humore aquo pellucido repletis, & cellulosa pellucida fabrica constans, molioris consistentiae, pellicula tenui pellucida vestitus.

vid. MORGAGN. *Aduers. VI.* p. 106. Illustr. BÜCHNERI fundam. *Physiologie Hoffmanniana* p. 195. §. 9.

§. XXVII.

Lens crystallina est corpus solidum ex tubulis lymphaticis & lamellis pellucidis, sibi inuicem incumbentibus compositum, pellucido liquore in vasis lymphaticis & in spatio inter lamellas repletum, lenticularis figuræ, inaequaliter conuexum, pellicula tenui arachnoidea dicta cinctum.

§. XXVIII.

Nerui oculum constituentes e cerebro oriuntur, & sunt horum tria paria.

- a) Par IIidum opticum dictum, bulbum oculi inter eiusdem axin & nasum ingreditur, & retinam oculi efformat, paucosque ramulos dat glandulae innominatae, aliisque vicinis partibus.
 - b) Par IIIitum oculorum motorium dictum, prope orbitam in sex ramifications distribuitur. vid. HEISTER. *Comp. Anatom.* p. 162. §. 299.
 - c) Par Patheticum per musculum oculi trochlearem sepe explicat.
- §. XXIX.
- Vasa sanguifera oculum perreptantia, oriuntur ex arteriis Carotidibus internis & externis, quae in ultimis canali-

canaliculis lympham pro oculorum nutritione tenuissimam ad velunt, superfluis vero sanguis per venas ad sinus durae matris & venas iugulares reuehitur.

§. XXX.

Explicatis oculorum tunicis & humoribus, nihil restat, quam ut modum quo visus fit, paulo accuratius explicemus. Pauca quaedam ex Matheſi & Physica nobis erunt praemittenda.

§. XXXI.

Ad visum Lux requiritur.

§. XXXII.

Lux est id, quod corpora circumiecta visibilia efficit.
Perillustr. L. B. de WOLFF *Elem. Mattheiſ.* Tom. III. p. 5. §. 4.

§. XXXIII.

Radius est lumen a puncto radiante per medium non resistens protensum. ei. Tom. III. p. 5. §. 6.

§. XXXIV.

Reflexio luminis est propagatio in partes anteriores corporis opaci, in quod incidit, ob eius resistantiam.
ei. Tom. III. p. 8. §. 38.

§. XXXV.

Refractio luminis est deuiaſio in linea per quam propagari debebat, ob diuersam medii densitatem.
ei. Tom. III. p. 8. §. 39.

§. XXXVI.

Si per exiguum foramen lumen in cameram obscuram intromittitur, lucida linea recta comparebit. Hinc radios luminis per lineas rectas determinare licet. Hinc nullum obiecti punctum videbitur, nisi quod pupillae in directum iacet.
ei. Tom. III. p. 9. §. 45-47.

B

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Quodlibet obiecti punctum videtur omnibus in locis, ad quae ex eo linea recta duci potest.

Per illustr. L. B. de WOLFF *ELEM. MATHEM.* Tom. III. p. 10. §. 58.

§. XXXVIII.

Quocunque in loco radii ex omnibus cuiusuis obiecti punctis fluentes, in totidem alia puncta, postquam reflexione aut refractione coacti fuerint, iterum conueniunt; eo in loco imaginem istius obiecti, super quo quis corpore albo, in quod inciderint, depingent.

vid. Celeb. NEWTONI *Optice* Ax. VII. p. 9. edit. Genev.

§. XXXIX.

Quo maioris sphaerae segmentum est lens pellucida, eo remotior est a superficie locus imaginis, quo minoris, eo propior. Quo proprius obiectum est lenti, eo remotior imaginis locus a lente, quo remotius eo propior.

§. XL.

Radii conuergentes lente vitrea excepti, eo citius post lentem coeunt & locum imaginis habent propiorem lentis, quo magis fuere conuergentes, eo remotiorem vero quo minus.

§. XLI.

Radii luminis ex obiecti punctis fluentes, secundum legem refractionis in superficie cornea exteriore ad perpendicularum refringuntur. Hanc directionem seruant per humorem aqueum, vsque dum crystallinam lentem contingant. Si ex aquo in crystallinum transeunt, denuo franguntur ad perpendicularum, magisque conuergentes redduntur, dein radii in foco quasi vnit, obiecti imaginem in tunica retina depingunt §. XXXVIII. Has imagines

nes sentit anima, per neruum opticum in cerebrum motu continuato, & sic sensatio Visus efficitur.

§. XLII.

Cum figura corneae in variis subiectis varia sit (per exper.): cum obiecta quoque visibilia varia saepe ab oculo gaudeant distantia, locus quoque imaginis variabit. §. XXXIX. XL. Hic vero in retina esse debet, si distincta fieri debeat sensatio (§. ant.): hinc distantia lentis a retina variare debet. Moueri itaque debet vel retina, vel lens crystallina. Iam cum retina moueri nequeat, ut pote subtilissima ac plane mucosa membrana §. XXIV, necesse est, ut lens moueatur.

§. XLIII.

Motus lentis dupli modo obtinetur 1) Incumbunt nempe ductus ciliares, lentem ambeantes, vitreo humor, quem contractione sua premunt. Hic in peripheria compressus in medio eleuatur, & sic lentem a retina dedit. Qua actione cessante, redit vitreus humor ad pristinam figuram, & lens sic proprius ad retinam reuertitur. 2) Omnes musculi recti oculum mouentes, si simul agant, compriment oculi bulbum, breuiorem reddunt, & sic lentem proprius ad retinam ad ducunt. Obliqui vero musculi simul agentes, & oculum superne & inferne comprimentes, eundem longiorem reddere, hinc distantium lentis a retina augere videntur.

§. XLIV.

Cum obiectorum remotorum imago, proprius absit a lente §. XXXIX, oportet, ut lens sub distincta eorundem visione, ope ductuum ciliarium & muscularum (§. antec.) proprius ad retinam accedat. Quodsi fieri nequeat, obiecta quoque distincte videri non poterunt, nisi vel proprius

B 2

ad

ad oculum accesserint, vel imago eorundem ope vitri
concaui longius a lente remoueatur.

§. XLV.

Cum porro propinquorum obiectorum imago re-
cedat a lente longius (§. XXXIX.), recedere haec debet a
retina, si imago retinam attingere debeat. Quodsi fieri
nequeat, vel magis remouenda sunt obiecta ab oculo, vel
ope vitri conuexi proprius ad lentem reducendus locus
imaginis.

§. XLVI.

Qui remota distinete vident, non vero propinqua
presbytae dicuntur, qui propinqua recte distinguunt non
vero remota, *myopes* audiunt.

§. XLVII.

Patet ergo: 1) In presbytis vel nimis planam esse
corneae superficiem, h. e. eam esse maioris spherae se-
gmentum (§. XL.), vel 2) lentem nimis propinquam esse
retinæ minusque mobilem (§. XLV.).

§. XLVIII.

Myopes contra vel 1) nimis convexam habere cor-
neam, seu eam esse minoris spherae segmentum:
(§. XXXIX.) vel 2) lentem nimis esse a retina remotam
(§. XLIV.).

§. XLIX.

Et haec sunt primaria visus fundamenta, e quibus
reliqua phænomena deduci facile possunt, quae vero hic
demonstrare instituti ratio vetat. Plura vide in notis
Excell. PRAESIDIS ad Boerhaauii *Physiologiam* edit. ver-
naculæ p. 830. seqq. Haec iam carptim strictim-
que disputasse sufficiat.

PRAE-

PRAENOBI LISSIMO DOCTISSIMO QVE
CANDIDATO RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S .

CHRISTIANUS LUDV. VON HABEGG
Reddo TIBI, quam mibi perlegendam tradidisti disserta-
tionem, plane TVAM, cuius elaboratio demonstrat uti-
que non mediocriter TE esse versatum, non in Medicina mo-
do, sed & in Matheſi & Physica. Sunt haec sane duo vel-
uti artis salutaris fulcra, quae non ut rerum harum igna-
ri cavillantur, ad inanes speculations deducunt, sed soli-
dae mechanismi corporis cognitioni, viam veluti sternunt,
& ad intima deducunt naturae penetralia. Habeo itaque
quod TIBI gratuler de doctrina quam TIBI acquisuisti fo-
lida, quae spem nobis dat, utilissimum TE aliquando fu-
turum patriae TVAE, totique orbi litterato. Et hoc eo
certius augor, quo certius noui, diligentissimum TE fui-
se in acquirenda cognitione artis salutaris penitiore. In-
terfuiſti praelectionibus Medicis, Illustris & Celeberrimi
BÜCHNERI nostri, Excellentissimorum BÖHMERI &
STRVMPFFII, nec non meis Mathematicis, Physicis, Phy-
siologicis, Formulari Medico, & priuatissimis Medicis, eo
ardore eaque diligentia, vt fausta ac praeclara quaevis de
TE semper expectarent boni omnes. Perge sic amicissime
SCHVLTZI in incepto tramite, & praemia diligentiae
certe assequeris. Vale. Dab. in Reg. Frid. d. XII. Iul.
MDCCCLIV.

Incly-

Inclyta signa dabas certae praenuncia laudis,
Ingenioque vales DVL CIS AMICE graui.
Gaudentis magnam penitus spem Patris adimples,
Spes patriae constans, arte perampulus eris.
Iam vigetas florens, sint praemia digna laboris,
Sitque salus viuax, sit rata fama TIBI.

His paucis Amico suo dilectissimo, Respon-
denti ornatisimo specimen eruditionis
egregium gratulatur

Opponens

CHRIST. GOTTL. LIEBERKÜHN,

Potsdamiensis, M. C.

Societat. Teutonic. lenensis Sodalis.

Consequentem cernit Honos, AMICE,
TE Mineruam; mox properat decoris
Praemiis ornare TVOS labores.
Inuida turba
Dentibus frendet, minuens honores
Frustra. Ouans ergo TIBI, iam PARENTI
Filium grator, senii leuamen,
Et decus ingens.

IOANNES BAVMANN,

Megapolitanus Opponens.



SENI CANO VENERABILI,
VIRO PIETATE, VIRTVTIBVS, MERITIS,
ANNIS, CONSPICVO,
DOMINO
IEREMIAE GVILIELMO
BRVNINGIO,
APVD PERLEBERGENSES, MERCATORI,
AVO SVO OPTIMO,
MVSARVM SVARVM, FORTVNAEQVE
PROMOTORI BENIGNISSIMO,
IN CERTISSIMVM
GRATI ATQVE OBSEQVIOSISSIMI ANIMI
MONVMENTVM,
CVM
VOTO VITAE LONGISSIMAE, VIRIVM INTEGRITATIS,
OMNISQVE FELICITATIS GENERIS
HANCCE DISSERTATIONEM
OFFERT

OBSEQVIOSISSIMVS EIVS NEPOS
CAROLVS GVILIELMVS SCHVLTZ.

80 A 6469 (1)

VD18

ULB Halle
002 937 28X

3



TA-70L

R

VDAX

TIONVM PHYSIOLOGICARVM

SECVNDA

QVA

ES DE VISV

PRAE S I D E

LENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
DOCTISSIMO,

PETRO EBERHARDO,

AC PHILOSOPHIAE DOCTORE,
FESSORE PUBLICO EXTRAORDINARIO,
AE IMPERIALIS NATVRAE CVRIO-
SORVM SODALI,

D. XIII. IVL. CLCCLIV.

AUDITORIO MAIORI

H. I-III. POMER.

PUBLICE DEFENDET

CTOR RESPONSVRVS

GVLIELMVS SCHVLTZ,

PERLEBERGENSIS,
EDICINAE CANDIDATVS.

LAE MAGDEBURGICAE,

IRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

